10471238. Ex maiore horum si processeris secundum doctrinam primæ & tertiæ propositionum, inuenies sinum 89. graduum maiorem esse quàm 59990813. Inde residuũ de semidiametro, scilicet 91387. maius est sinu uerso unius gradus, q̃d ductũ in 30000000 scilicet dimidium semidiametri, ut nunc supponimus, faciet quadratum, cuius radix 5236044. quæ necessario plus est quàm sinus dimidij gradus, ex quo etiam inuenies 59997152. minus esse sinu 89. graduum & dimidij. Ex minore autem, si processeris secundum easdem doctrinas, inuenies sinum 89 graduum, minorem esse quàm 59990862 1. Inde 91379 minus esse sinu uerso unius gradus, hinc & 52358 18. minus sinu dimidij gradus, ex quo etiam habes 59997715 5 plus esse sinu 89. graduum & dimidij. Ex his modo illud accipe, licet in inuentione sinuum per augmentum 45. minutorum in arcu procedendo supposuerimus sinum totum esse 600000000. propter præcisionem inuentionis, in tabulando tamen supponemus eum esse nisi 6000000. quod id sufficiat, sic sinum arcus dimidij gradus inuenimus plus esse quàm 52358. & minus quàm 52360. conueniens est igitur ut ipsum inter hæc duo statuamus scilicet 52359. dum totus fuerit 6000000. nec unquàm aliquid erroris in operæ senties. Hinc sinum arcus 15. minut. reperies 26180. Item unius gradus 104715. & sinum arcus 89. graduum 5999086. item 89. grad. & 45. minut. 5999943. Ex his igitur secundum doctrinas superiores, si libet, poteris omnium arcuum per quartam gradus augmentum suscipientium sinus complere. Nam iuxta ingenium dictũ in quinta ex sinu arcus 30 minutorum sinúq; sui complementi, item sinu arcus 52. graduum & 30. minutorũ, sinúq; sui complementi reperies chordam arcus 52. graduum, indesinus arcus 26. graduum notus fiet, ex hoc sinus sui cõplementi, scilicet 64. graduum, & sic de alijs usquequo habueris omniũ arcuum per 15. minuta augmentatarum sinus. Verũ id tibi non opus esse reor, cum alia uia idem reperibile sit. Habes antea omnium arcuũ per tres quartas gradus unius crescentium sinus, eos ordinabis ut debet, differentiasq; omnium sibi proximorum nota, quarum quælibet 45. minutis medijs correspondebit, quamlibet earum quemadmodum ab initio ad finem continue decrescunt, ita secabis in partes tres, quòd ipsæ sectæ quoque uniformitatem in decrescendo seruent, quod facile fiet dum mediam earum semper adæquatam differentiæ tertiam constitues. Ex his perficies sinus arcuum authorum per quindecim minuta. Hinc iterum omnium horum sinuum differentias notabis, quælibet enim earum 15. minutis medijs correspondebit, quarum etiam quamlibet quemadmodum â principio uersus finem decrescunt, ita secabis in partes tres, ut ipse quoque in decrescendo seruent regulam, & ex his complebis omnium arcuum per quinq; minuta crescentium sinus. Simili uia supplebis tabulam sinus per singula minuta in arcu crescentem. Quod si diligens differentiarum notator atq; iuxta proportionem decremento earum sector fueris, tanta præcisione tibi sinus constitues quanta fierent, si iuxta doctrinas propositionum superiorum ad unguem singula prosequereris. Atq; ut huic rei fidem maiorem faceremus, in pleriscq; locis utrunq; modum tentauimus, neq; quicquàm in illis discordiæ ceciderat. Sic igitur in nostra tabula sinus id commodi est, ut singulis minutis gradus suos habeas sinus correspondentes, idq; certitudinis ut non sicut in alijs, quæ per quartam partem gradus tantum augmentatæ sunt, quod uni quartæ gradus intermediæ respondet, æqualiter per quartam eandem extensum sit, sed secundum differentiarum decrementum proportionabiliter per minuta intermedia est distributum. Habes quoq; sinum totum hic positum 6000000. partium, per quam extensionem, ad secunda minutorum in arcu cum necesse sit, deuenire cum certitudine poteris. Si uero in minutis arcus standum tibi fuerit, ages per sinus eosdem, primas uersus dextram duas figuras omittendo, & tunc sinus totus 60000. partium supponetur.



Propo